



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. De ipso mysterio nonnulla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

mi, atque gaudium in his, quæ libenter pro eius honore, toleramus.

Igitur quicumque te dolor aut molestia, quæcunque ærumna afflictione exercuerit; offer illa Christo veluti flores suavissimos; & ex omnibus ei sertum confice, quo ille, jucundissimè coronetur. Qui flores si nondum apparuerint in terra tua, est unde incuses sterilitatem amoris tui; ut qui non nisi spinas & tribulos, tot adhuc noxarum in diti germines; patientiæ autem & abnegationis flores nullas proferas, quorum amœnitate ac fragrantia dilectus tuus præsertim capiatur.

## CAPVT VII.

*Imitatio Christi bajulantis sibi crucem, & cum ea ad montem Calvarie contendens.*

§. I.

*De ipso mysterio nonnulla.*

**A** Des hinc rursus Regis dolorum amatrix anima, ac mortis oculis ac corde dolore faucio, attende & vide, quàm enormiter tandem increpescant cruciatus & opprobria dilecti tui. Ut enim hinc cum Propheta exclamem: *Quæ audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israël?*

Huc igitur indignitatis devenit est! Dei filio, hoc est, ipsi virtuti atque innocentie, per summam injuriam illegamq; sententiam crux decernitur; nec decernitur modò, sed viarum labore, inedia, vigilia fatigato, flagello attrito, & tantum non confecto vulneribus, immisericorditer imponitur, & ferali pompâ agnus innocens, ad supplicij locum, non jam ducitur, sed raptatur. Ergo qui, rele



teste Isaiâ, *appendit tribus digitis molem terra, & absque labore, vel minimo ( ut de eo nominatim Apostolus) portat omnia verbo virtutis suæ: is jam (B. Cypriani phrasi) patibuli sui bajulus, Calvariæ collem, dolens ac gemens, & sub onere lapsabundus, insecendit.*

Isai. 40.

Heb. 1.  
Serm. de  
pass.

*Bajulans sibi crucem ( inquit sacer Evangelista) exiit in eum, qui dicitur Calvaria, locum. Tribus verbis, quanta complexus est! nam & bajulat JESUS, hoc est, onere indigno premitur; & crucem bajulat, hoc est, pondus infame, & consccleratorum supplicium; & sibi bajulat, hoc est, ut in ea demum figatur, perq; cruciatus intolerandos immoriatur. Atque horum quidem & similium, quæ in hoc mysterio continentur, consideratio, uberem nostris mentibus piorum conceptuum silvam, & magnam sanctarum affectionum materiam subministrare potest. Veruntamen, quod huc propriè pertinet, ut crucis, quam tunc Christus pertulit acerbitas, quantumq; ei debeamus isto nomine, penitiùs intelligatur; videamus duntaxat hoc loco, an quando suprema Providentia ( ut de ea loquitur Liber Sapientiæ, de pœnis Egypto inflictis agens, & adhibitâ in ijs inferendis moderatione) omnia in mensura, & numero, & pondere constituit: hanc etiam Legem in cruce ipsi DEI Filio constituenda, servandam sibi existimaverit; an verò è contrâ, quò justitiæ suæ plenè satisfaceret, simulq; amoris erga nos sui vim & exuperantiam ostenderet, sine lege & modo, & mensura, atque extra omnem consuetæ providentiæ rationem, humeros illius prægravârit.*

Joann. 19.

Sap. 11.

§. 2.

*Gravitatis crucis, quam Salvator sibi bajulavit, ponderatio.*

**Q**uodnam igitur credimus crucis Christi pondus, quem numerum, quam mensuram fuisse? Atque ut de pondere

O o o o z

dere